DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PNEUMONIA

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID PLENDERLEATH,

ANGLUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Lethalis hyems paulatim in pectora venit,
Vitalesque vias, et respiramina claudit.

OVID.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1807.

PATRI SUO CARISSIMO,

JOHANNI PLENDERLEATH,

ARMIGERO,

QUI VITÆ DONUM,

INNUMERIS ALIIS BENEFICIIS

CUMULAVIT,

ET USQUE A TENERIS ANNIS

VIAM SCIENTIÆ EI PATEFACIENDAM

CURAVIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS ANIMIQUE GRATI SEMPITERNI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

EA, QUA DECET, PIETATE

ET REVERENTIA,

OFFERT

FILIUS.

VIRO

PRÆCLARI ET ERUDITO,

JACOBO RUSSELL,

CHIRURGIÆ CLINICÆ IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

HAS JUVENILES STUDIORUM

IN RE MEDICA

PRIMITIAS,

OB PLURIMA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

OB CURAM

SUB ÆGROTO CORPORE,

ET

OB CONSILIA

IN STUDIIS MEDICIS EXCOLENDIS,

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

AUCTOR.

NECNON,

FRATRI CARO,

JOHANNI PLENDERLEATH,

CHIRURG. COLLEG. LOND. REG. SOC.

QUI

IN STUDIO MEDICINÆ

ME

ADJUVAVIT;

HOC OPUSCULUM QUALECUNQUE SIT,

ANIMI GRATI ATQUE OMNI OFFICIO DEVINCTI,

MONUMENTUM CONSECRAT

FRATER.

DENIQUE,

PATRUELI OPTIMO,

DAVIDI GOURLAY,

ARMIGERO;

HOCCE TENTAMEN,

OB MULTA BENEFICIA,

GRATO ANIMO,

PALAM OFFERT

AUCTOR.

Nullâ re homines propiùs accedunt ad Deos, quàm salutem hominibus dando.

CIC.

When all at once from indolence to toil
You spring, collected in the passive veins,
The purple mass a sudden torrent rolls,
O'erpowers the heart, and deluges the lungs
With dangerous inundation: oft the source
Of fatal woes, a cough that foams with blood,
Asthma, and feller Peripneumony.

ARMSTRONG.

To Dr Ogilvy
with the Authors Compts

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Quum pulmones adeò ad vitam necessarii sint, ut sine summo discrimine munera intermittere non possint, nobis, summos medicinæ honores petituris, nulla videtur res dignior, de qua pauca scribamus, quam eorum inflammatio, quæ à medicis *PNEUMONIA* appellatur. Hic enim morbus plerumque adeò vehemens est, ut paucis diebus aut ipse finiatur, aut ægrum tollat.

Omni verò ætate tantam hic morbus sibi vindicavit medicorum attentionem, totque eum scriptis medici persecuti sunt, ingeniis præclari, usuque sapientes, ut nihil de eo novi proferre posse speremus. Cùm ita sit, cæteros qui, de rebus vulgatis, scribunt, imitati; res carptim, ut quæque memoria digna videntur, hinc illinc excerptas in compendium conferemus, satìs felices, modò nostrum appareat si non ingenium, saltem diligentia.

MORBI DEFINITIO.

A Culleno, quo medicorum nullusdum morbos solertiùs disposuit, pneumonia definitur, "*pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis.*"

Definitam in duas diducit species, *pleuritidem*, nempè, et *peripneumoniam*. Quibus certò notis hæ dignoscantur, exponere interdum apprimè difficile est. Præcipuas, ut nobis videtur, pau-

cis verbis comprehendit CULLENUS. Ab hoc auctore clarissimo peripneumonia definitur, " *pneumonia pulsu non semper duro, aliquandò molli; dolore thoracis obtuso; respiratione perpetuò difficili, sæpè non nisi trunco corporis erecto exercenda; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumquè humida, sæpè cruenta.*"

Ab eodem auctore summatìm describitur, " *pneumonia pulsu duro; dolore, plerumquè lateris, pungente, sub inspiratione præsertìm aucto; decubitu in latus molesto; tussi dolentissimâ, initio siccâ, posteà humidâ, sæpè cruentâ.*"

Qui morbos ordinatìm, generatìm speciatìmque disposuerunt medici, eorum plerique interni thoracis inflammationes in duo genera diviserunt. CULLENUS autem, HOFFMANNUM secutus, unum tantùm genus posuit. Hoc, quod *PNEUMONIAM* nuncupavit, in duas diduxit species; sed, rectè an secùs, subdubitare confitetur.

Iis accedimus scriptoribus, quibus videtur, duas *pneumoniæ* species esse, *pleuritidem*, nempè,

et *peripneumoniam*, quarum utrique propriæ quædam notæ sint. Specierum illam in *pleura* consistere putamus, hanc in pulmonum substantia.

Alias prætereà species ponunt quidam auctores. Unam *pleuritidem dorsalem* nominant HIPPOCRATES et ARETÆUS. Hanc inflammationem, quæ in mediastino consistere videtur, indicant dolores peracuti inter os pectoris et spinam claviculasve, spiritus celer et creber, cæteraque simul mala quæ affert *pleuritis*.

Inflammatio, ubì, ut nonnunquàm in *pleura* septi transversi est, *PARAPHRENITIS* à HUXHAMO appellatur. Huic proprium est, ut putant hic auctor, aliique quidam, movere vehementes et acutos dolores, qui ab inferioribus costis pertendunt ad imam dorsi vertebram; ægrum inter spirandum singultire; simulque anxietate maximâ, tussi siccâ, quæ nihil emolitur; singultu, dilirio affici; hypochondria tanquàm sub costas retrahi; abdómen non, uti solet, inter spiritum hauriendum se attollere; et os risu SARDONICO deformari.

Signa tamen, quæ, utì ferunt auctores, his *pneumoniæ* speciebus propria sunt, neutiquàm perpetua observârunt alii scriptores; ideoque nobis non videtur satìs, quamobrem hujusmodi species asciscamus.

De *peripneumonia*, quidem, et *pleuritide*, quippe cùm multa communia habeant, et eandem ferè curationem postulent, sub communi nomine *pneumoniæ* disseremus, nisi quoties quid alterutri proprium separatim injicere opus sit.

SIGNA.

Pneumonia nonnunquàm multos mortalium uno tempore adoritur. Ubì hoc accidit, inflammatio interni thoracis plerumquè longè latèque serpit. Pauciores enim graves *pleuritides* sunt, quàm morbi compositi ex *pleuritide* et *peripneumonia*, quos *pleuroperipneumonias* nonnulli appellant. *Pneumonia*, haud secùs ac alii morbi inflammationem habentes, plerumquè in-

cipit à horrore, quem, haud multò pòst, excipiunt calor insolitus, pulsus celer et debilitas. His malis, quæ febrem indicant, plerumquè, paucas ab initio adversæ valetudinis horas, superveniunt dolor in aliqua thoracis parte, difficultas spirandi, et tussis. Interdum, at raò, ut à CLEGHORNIO accipimus, mala, quæ movet inflammatio, febrem antegrediuntur, et nonnunquàm arteriarum pulsus solito tardiores *.

Arteriarum pulsus, in pleuritide saltem, non solùm celeres sunt, sed etiam duri et validi. In peripneumonia haud raò molles sunt.

Spirandi difficultas, quæ accedit, plùs minùs urget, pro ægri positu. Nonnunquàm æger facillimè spirat supinus; sæpiùs autem, dum dolenti incumbit lateri: et haud raò spiritum trahere et emittere non potest, nisi rectâ cervice. Spiritus nonnunquàm duplo triplove celerior est, quàm ex consuetudine. Operosior est in peripneumonia, quàm in pleuritide. In illo morbo difficultas oritur ex compressis pulmo-

* Vid. CLEGHORN. *Epid. Diseases of Minorca.*

num fistulis; in hoc, ex dolore, quo, inter animam extrinsecùs in pulmones ducendam, thoracis amplificatio *pleuram* afficit.

Tussis omnes *pulmonitide pleuritide*que ægros vexat, at non omnes tamen æquè vehementer. Plerumquè ab initio illius morbi mucum seu pituitam emolitur, in qua intermixtus sanguis strias exiguas repræsentat. Mucus alio alias colore est. Initio non solùm parcus est, sed etiam coloris ferè expers. Progrediente verò morbo, lentescit, flavescit, striis sanguinis variatur; et interdum specie pus adeò simulat, ut medicus sit animi dubius, pusne sit an mucus.

Dolor, qui pleuriticos et peripneumonicos infestat, uni neutiquàm parti semper inhæret. Modò, et sæpiùs quidem, dolet dextrum tantùm latus. Interim dolor est sub osse pectoris, interim inter scapulas. Nonnunquàm ab uno latere ad alterum transmigrat; vel, latere relicto, aut scapulam petit, aut os pectoris et claviculam. Quinetiam, haud rarò, postquàm demigravit, brevi pòst tempore, eò redit, undè profectus est. Aliquandò præcordia gravissimè

urget. Ubì in latere manet, aliàs superiorem partem affligit; aliàs inferiorem occupat, et movet dubitationem, annon renum magis inflammatione oriatur, quàm pulmonum *pleurœve*. Imò, si in dextro latere, medicus nonnunquàm animi incertus est, annon moveatur inflammatione hepatis.

Nonnunquàm in latere, jam os pectoris versus, jam vertebras versus, exercet dolor. Plerumquè autem, ut observat CULLENUS, circa mediam ferè partem sextæ septimæve costæ insidet, paulòve propiùs ad os pectoris. Dolor, quem movet *pleuræ* inflammatio, peracutus est; quem pulmonum obtusus, et interdum perindè ægro videtur, ac si ex aliquo partem onerante oriretur.

Dolor, eum sive *pleuræ* inflammatio excitet, sive pulmonum, tussi exasperatur. Quem dolorem movet inflammata *pleura*, is maximè intenditur spiritum in pulmones hauriendo; quem verò inflammatus pulmo, is spiritum reddendo. Ne dolorem exasperet, æger, singulis vicibus, spiritum solito parciorem ducit et reddit, et hanc

parcitatem compensare conatur trahendo et emittendo crebriùs. Ubì tussis materiam ex pectore facilè emolitur, dolorem plerumquè levat.

Increscente morbo, ægrotus nonnunquàm gravi capitis dolore vexatur. Os sanguine suffunditur. Oculi rubescunt, non constat animus. Vigilia premit. Ingravescunt dolor et spirandi difficultas. Nonnunquàm genua intumescunt et purpurascunt. Lingua fit arida et scabra. Æger cibos, at carnes maximè, fastidit, et siti vexatur. Alvus varia est, modò soluta, modò astricta. Urina anteà parca et perlucida, fit rubra, et sedimentum lateritium, aliquandò lacteum, deponit. Sanguinis ex vena missi et frigescentis gluten à sero et particulis rubris se dissociat, et, tanquàm corium album, supernatat.

Facies, anteà florida, nunc intumescit et purpurascit. Nonnunquàm æger morbi majoris accessionibus afficitur. Defluentibus viribus, æger ex debili debilior fit.

"Ubì gravius malum est, continua oritur vigilia, simulque soporosi, sed tamen breves somni tenent; sputum admodùm cruentum et floridum exspuitur; incipiunt frigere extrema, unguesque lividi curvique fieri *." "Tandem," inquit HOMEUS, "spiritus trahitur cum sibilo; pulsus formicat; visus obscuratur; mens alienatur; extremitates frigent; sudor in superioribus partibus obrumpitur, et æger moritur †."

Pneumonia aliquandò tertio quartove die remittit. Hoc non ignorare debet medicus, ne deceptus putet morbum sanescere, et validiora præsidia negligat, aut præmaturè omittat.

INSPECTA CADAVERA.

PATEFACTIS eorum, qui *pneumoniâ* periêrunt, cadaveribus, *pleura* nonnunquàm inflam-

* Vid. LOND. *Observat. Medic.*

† Vid. FRANCISC. HOM. *Princip. Medicin.*

mata, et, supra modum, crassa, conspicitur; atque ejus pars quæ pulmones investit, ei adhæret, quæ amicit costas, formatve mediastinum.

Aliquandò, urgente *pleuritide*, patuli *pleuræ*, et interdum etiam *pericardii*, arteriarum surculi ex sanguine humorem exsudant, qui, utì videtur, ex sero constat et glutine. Aperto post mortem thorace, glutinosæ partes in crustam tenacem concretæ conspiciuntur, quæ *pleuræ*, interdumque *pericardio*, ubique adhæret: dum serosæ partes, quippe quas, præ crusta interposita, vasa bibula absorbere nequeant, specie aquosi humoris inter crustas, pulmonalem, nempè, et costalem, interfluunt. *Pleura* pulmonalis et *pleura* costalis, dummodò simul inflammentur, vasis per effusum hujusmodi humorem intercurrentibus haud rarò concrescunt.

Quos intercepit *pulmonitis*, in eorum spongiosa pulmonum substantia haud rarò sanguis, aut ruptis arteriis aut patulis arteriarum surculis dilatatis effusus, reperitur. Qui, enimvero, *pulmonitide* pereunt, eorum, ut CULLENO videtur, plerique sanguine sic effuso, et cùm fistulas

vesiculasque spiritales, tum arterias venasque comprimente, suffocantur *.

Quinetiam, qui pulmonum inflammatione laborant, in eorum fistulas vesiculasque spiritales sanguinis serum et gluten patuli arteriarum surculi effundunt: et, post mortem, glutinosiores partes, formâ crustæ fistularum vesicularumque parietibus obductæ, conspicitur; dum, in vesiculis fistulisque, seri lentiores partes, quas solas aër, dum vita manebat, non dissipavit, purulentum, interdum putridum, humorem repræsentant.

Haud rarò, post mortem, in spongiosa pulmonum substantia, purulentus humor ab incidentibus invenitur. Aliquandò, ut à Cleghornio accipimus, pulmones indurescunt sic, ut, aperto thorace, jecori similes deprehendantur, et, præ gravitate insolita, in aqua subsidant †.

* Vid. Cullen. *First Lines*, § 346.

† Vid. Cleghorn. *Epidem. Diseases of Minorca.*

Nonnunquàm, post mortem, vasa cerebri, sanguine justo pleniora oculis inspicientium obveniunt.

DIAGNOSIS.

Cognitis iis, quæ jam diximus, nullus medicorum quisquam, nisi incuriosus otiosusve sit rerum observator, *pneumoniam* pro ullo alio morbo habere potest. Ne verò res nostra manca appareat, ostendemus, quibus *pneumonia* dignoscatur ab aliis quibusdam morbis, quibus aliqua cum ea signa communia sunt.

Hepatitis acuta,—ubì gibberæ hepatis faciei inhæret, pungentem dolorem movet, qui, proinde atque is quem *pleuritis* dextri lateris, spiritu in pulmones hauriendo intenditur. In illo verò morbo, dolor rarissimè supra sextam costam est; in hoc, rarissimè infra. Quinetiam, dolor, qui hepaticos urget, plerumquè identidem pertendit ad dextram *claviculam* et summum

dextri humeri; rarissimè sic, si unquàm, dolor, qui pleuriticos. Illos, porrò, vexat singultus; hos non item. Ad hoc, hepaticus dolor pressu exasperatur; non item pleuriticus. Hepatarii, denique, non item pleuritici, oculis nonnunquàm et facie flavescunt.

Carditis et *pericarditis*—aliquantùm simulant inflammationem, quæ in gibba sinistri hepatis lobi facie nascitur. Superquam autem quòd, contrà atque hepatitis, profundum dolorem movent in ipsissima parte, in qua cor est, non solùm cordis arteriarumque motus graviter perturbant, sed etiam faciunt, ut haud raro anima deficiat.

Pleurodyne,—seu *rheumatismus* in musculis thoracis, nonnunquàm movet dubitationem, urgeat, necne, *hepatitis*. In illo verò morbo, in hoc non item, pars affecta tactu dolet, et dolor vel levissimo motu intenditur, et nonnunquàm, ab exteriore parte, tumor et rubor se manifestant. In illo, porrò, morbo, quàm in hoc, tussis, si qua, levior est; minor spirandi difficultas; et levior, si qua, febris.

Hydrothorax—et *pneumonia* facilè distinguuntur. In illo enim morbo, nec febris est, ut in hoc, nec acutus dolor; dum, contrà ac in hoc, non solùm urina parca est, et pedes ac manus aquâ intercute intumescunt, sed etiam, corpore leniter agitato, aqua in pectore fluctuat sic, ut, admotis auribus, undarum sonus audiri possit.

Catarrhus,—quippe cùm haud rarò *peripneumoniam notham* antegrediatur, et, ubì vehemens, hunc morbum plurimùm simulet, errorem nonnunquàm creet. Enimvero hi morbi tam exiguo fine dividuntur, ut sæpè vel peritissimus medicorum discernere nequeat, ubì unus desinat, ubì alter incipiat.

Catarrhus autem à *peripneumonia vera* et *pleuritide* plurimùm differt. Illo enim morbo urgente, nec, ut in *peripneumonia* perpetua spirandi difficultas est, nec *orthopnœa*, nec facies tumida et purpurea. Neque, enimvero, est, ut in *pleuritide*, pungens, isque plerumquè lateris, dolor, spiritum ducendo exasperatus; neque

decubitus in latus molestus; neque tussis dolentissima.

Peripneumonia notha—medium propè locum tenet inter *catarrhum* et *peripneumoniam veram.* Provectis ætate, præsertìm pituitosis, obrepit. *Peripneumonia vera* magis adoritur temperatione corporis sanguineos. Illo morbo affecti premuntur magnâ anxietate et gravitate præcordiorum, itemque languore, lassitudine, vertigine et veterno, sed nullo ferè pectoris dolore; et, quamvis gravissimè doleat caput, leviter tantùm febriunt.

Asthma,—contrà ac *pneumonia,* circuitu quamvis incerto, modò decedit, modò revertitur, et nullam movet febrem. Quinetiam facit, ut spirare æger, sine sibilo, sono, et anhelatione, non possit.

DE CAUSIS.

Proclivitas.——Quorum mortalium fibræ musculosæ aptæ sunt, quæ levibus stimulantibus se justo vehementiùs contrahant, quorumve arteriæ venæque sanguine nimìs implentur, ii, præ cæteris, in hunc morbum proclives sunt.

Illiusmodi mortales haud raró sunt ii, quibus firma corporis constitutio est, et temperatio sanguinea : et qui sunt provectiores ætate, at validi ; frigidumque cœlum incolunt, ubì, vertente anno, sunt magnæ tempestatis varietates.

Hujusmodi autem sunt ii, præ cæteris, qui in carnium, vini, cerevisiarumque usu intemperati sunt ; qui, præ inertia et animi vacivitate, somno et mollibus lectis effœminatè indulgent ; quibus halitus cutis parcus est, alvus pigra ; et qui futurorum, fortasse ne futurorum qui-

dem, morborum timore sanguinis detractionem in consuetudinem traxerunt.

Excitantium—causarum præcipua est frigus cum humore summæ cuti applicatum, dum simul frigidus aër et humidus in pulmones ipsos adducitur. Hinc fit, ut hieme et vere, quippe anni temporibus, quibus varietates tempestatis maximæ sunt et interdum frequentes, plures mortalium pectoris inflammationibus afficiantur, quàm aliis anni temporibus. Haud tamen negandum est, accidere ullo anni tempore posse, ubì tempestatis vicissitudines frequentes sunt.

Causis etiam, quibus excitetur pulmonum *pleurœve* inflammatio, annumeranda sunt ebriositas, locutio altâ voce, cantatio, organorum musicorum inflatio, citus acclivium ascensus, acres fumi in pulmones adducti, vis extrinsecùs illata, vulnera, costæ fractæ et in pulmones addactæ.

Causæ, porrò, quædam sunt, quæ *secundariam pneumoniam* concitant, nempè *podagra aber-*

rans, *variola*, *rubeola*, *catarrhus*, *phthisis* et *scorbutus*.

Proxima—*pneumoniæ*, pariter atque cæterarum inflammationum, causa cùm lateat obscuritate involuta, non mihi consilium est, aggredi, quid sit, exponere. Cùm ita sit, Homeum, pro me, ponam. "Causa hujus morbi," inquit, "est obstructio inflammatoria in finibus arteriæ pulmonalis aut bronchialis, aut utriusque simul. Hanc certissimè declarant causæ remotæ, symtomata, et cadaverum inspectio *."

PNEUMONIÆ FINES.

Pneumonia, pariter atque aliæ inflammationes, modò resolvitur; modò suppurat; aliquandò in gangrænam abit; aliquandò facit, ut arteriæ inflammatæ partis aut sanguinem aut quasdam hujus partes, effundant.

* Vid. Francisc. Hom. *Princip. Medicin.*

Resolutio.—Maximè optandum est, ut inflammatio discutiatur; et sanè tempestivâ medicinâ aut salutiferæ naturæ viribus plerumque sic decedit.

Dum digeritur inflammatio pulmonum *pleuræ*ve, mala, quæ priùs urgebant, paulatìm remittunt. Simul profluvia quædam ad eam digerendam conducunt, nempè sanguinis ex naribus, intestinove recto fluxus: urina rubra, ex qua frigescente multum subsidit: pituita albida, crassa, sufflava, facilè extussita, cui exiguæ intermiscentur striæ sanguinis: sudor tepidus toto æqualiter corpore ortus, febremque mitigans: et, ut nonnulli dicunt, menses abundantes.

Nonnunquàm, ut observat Sydenhamus, sputum non spissescit, sed parcum editur, et æquè ac initio tenue, donec ægrotus morti occumbat. Verùm, ut inter medicos conceditur, nihil ad *pneumoniam* discutiendam plùs contribuit, quàm facilis humoris lenti, albidi, aut sufflavi exscreatio.

Haud rarò, ut à BOERHAVIO accipimus, qui multa exempla narrat, *pneumonia* discutitur inflammatione translata in alias partes. "Aliquandò," inquit HOMEUS, "transfertur materia ad partes inferiores, ubì phlegmona, erysipelas, tumores et ulcera producit *."

Non eodem semper tempore resolvitur inflammatio, de qua scribimus. Est autem, quarè, fore resolutionem, speremus, ubì, quarto propè die, mala paulatim remittunt. Verùm enimvero his pedetentìm mitescentibus, septimo plerumquè die aut nono, aut undecimo, febris decedit, et revalescit æger.

EFFUSIO.—Nisi *pneumonia* discutiatur quâdam Naturæ bonitate, vel opportunâ medicinâ, humor sæpissimè effunditur ex arteriis ægræ partis, et, si magnâ copiâ, vitam plerumquè exstinguit. Est, quamobrèm vereamur, fore, ut effundatur sanguinis serum, ubì ab initio inflammatio levis fuit, et diù continuavit. Ferè semper in pectoribus eorum, quos abstulit hic

---

* Vid. FRANCISC. HOM. *Princip. Medicin.*

morbus, effusus humor reperitur; neque profectò dubium est, quin mortem attulerit.

Nec semper autem uniusmodi est humor, nec in eadem semper parte continetur. Nonnunquàm enim sanguinis serum effunditur in animæ fistulas vesiculasque, ubì, post mortem, cum pure commixtum conspicitur. Interdum in capsulam cordis effusum iisdem malis, quibus hydrops *pericardii*, ægrum premit : aliàs in saccum *pleuræ*, et ægro eadem, quæ hydrothorax, mala inducit. Aliquandò humor sanguineus emanat in spongiosam pulmonum naturam ; atque partìm spiramenta sic gravando, ut nequeant animam accipere, partìm arterias venasque usquè eò comprimendo, ut per eas non possit perlabi sanguis, ægrum suffocat.

Suppuratio.—Nonnunquàm autem accidit, ut *pneumonia* neque discutiatur, neque faciat, ut effundatur humor ex patulis inflammatarum arteriarum surculis, sed spectet ad suppurationem et abscedat. Est, quòd hoc futurum timeamus, si, malis nihilodum remissioribus, morbus pro-

trahitur ad decimum diem usquè, et adhuc magis ad decimum quartum.

Confitendem tamen est, nihil de tempore, quo inflammatus pulmo *pleura*ve suppurat, perpetuum esse. Namque, utì notat Pringelius, medicus clarus in primis, nisi aut morbo subvenerit medicina, aut tussis pituitam emoliatur, suppuratio septimo ferè die incipit. Sin sputum salutare, quod suprà memoravimus, maturè accidit, pars inflammata multo seriùs incipit suppurare *.

Primùm ut pars inflammata suppurat, identidèm inhorrescit corpus; arteriarum ictus plerumquè, at minimè semper, rariores, pleniores, et molliores fiunt; sed cætera mala nihildum se remittunt.

Ubì, pure concocto, abscessit pars inflammata, remittit dolor; horror identidèm percurrit corpus; tussis crebrior est, majorque spirandi

* Vid. Pringel. *Diseases of the Army.*

difficultas ; pars affecta, in eam si decumbat æger, perinde videtur, ac si ex pondere aliquo oneraretur ; et febris, mutatâ naturâ, in eam abit, quam *HECTICAM* medici nominant.

Ex abscessu pus, perrosâ sibi viâ modò erumpit in saccum *pleuræ*, et *empyema* inducit. Quod ubì accidit, tussis, quamvis gravis, nihil emolitur ; et, quoties sanum æger in latus decumbit, spirandi difficultas maxima est. Quinetiam, agitato corpore, undisonus humor admotis auribus exauditur. Nonnunquàm, porrò, plùs minùs torpet dextrum brachiorum.

Dummodò pulmo inflammatus septo transverso coäluerit, pus aliquandò, hoc pereso, dilabitur in saccum *peritonæi*, et, hujus inflammatione primùm concitatâ, dein in gangrænâ, mortem, haud longo post tempore, affert.

Haud raro pus sibi viam patefacit in spiramenta pulmonum, et, nisi hinc derepentè extussiatur, ægrum suffocat. Enimvero, quamvis expectoratur pus, ulcus tamen haud raro non sa-

nescit, et æger, lentâ tabe extenuatus, fato concedit.

Gangræna,—nostrâ ætate, *pneumoniæ* raró supervenit. Sed haud ita pridem, ut à Huxhamo accipimus, hunc morbum in gangrænam abire haud insolitum erat. Eodem sæpè tempore, quo gangræna nascitur, sanguis ex arteriis in spiramenta pulmonum erumpit, aut in *pleuræ* saccum. Hæc æquè mala certam mortem afferunt.

Cognoscat medicus, gangrænam propè esse, ut accedat, ubì, medicinâ neglectâ prorsùsve impotente, dolor ex gravi subitò desinit. Jam certò accidisse sciat, ubì insuper arteriæ creberrimè, imbecillimè, inæqualiterque micant, aut tardigrado motu formicant : Ubì sputum purulentum editur, cum nigro sanguine commixtum : ubì alvus fœtida et æruginosa infrà transmittit : ubì urina fulva est, frigescensve quædam strigmenta araneis similia supersidentia deponit : ubì anima fœtet : ubì æger vocem glutit, aspectu lugubri est, oculis vitreis ; nihiloque tamen minùs fallace se spe vitæ consolatur.

Scirrhus,—ut putat Swietenius, *pneumoniæ* nonnunquàm supervenit. Sed, ut benè notat Gregorius, *pneumonia* multo sæpiùs subsequitur *scirrhum*, et, ubì hoc accidit, haud raró abit in phthisin, quâ lentâ morte æger consumitur *.

SIGNORUM EXPLICATIO.

Hìc loci, nobis in animo est exponere, undè oriantur nonnulla malorum, quæ pleuriticos peripneumonicosque urgeant.

Pyrexia—oritur, utì nobis videtur, partim ex acri materia, quæ corpore, per cutem, exire debet, repulsa et pulmones *pleuram*ve irritante; et partim ex irritatione, quam ex pulmonum *pleuræ*ve inflammatione accipit totum corpus.

* Aud. Gregor. Prælect. *De Medicin. Practic.* in *Acad. Edin.*

Dyspnoea.—" Respiratio frequens et labo-
" riosa," inquit Homeus, " quia vesiculis
" sanguine congesto compressis, neque aërem
" satìs copiosè haurientibus, pulmones crebris
" conatibus id compensare nituntur *."

Peripneumonici facillimè spirant erecti, propterea quòd, corpore sic posito, permittitur, ut longiùs descendat septum transversum.

Tussis.—Quoties impeditur, quò minùs per pulmones expeditè perlabatur sanguis, aut horum animæ spiramenta mucus, aliusve quilibet humor, opplet, musculi laryngis, per nervos, pulmonum mala participant. Per se autem ad pulmones levandos impotentes, faciunt, ut consentientes, per nervos, musculi inter costas et septi transversi, itemque musculi abdominis, vehementiores simul motus concipiant, creberrimèque repetant, dum mucum extussiverint, effecerintve ut pulmonum arteriæ venæque expeditiùs transmittant sanguinem.

---

* Vide Francisc. Hom. *Princip. Medicin.*

Dolor—oritur ex arteriis venisque inflammatis sanguine, præter modum, distentis: quo fit, ut harum nervi non solùm intrinsecùs comprimantur incluso sanguine; verùm etiam extrinsecùs partibus, in quas distribuuntur vasa, plùs minùs, pro densitate, obstantibus, ne immisso sanguine turgescant.

Pleuriticorum dolor acutus est, et plurimùm intenditur, ubì spiritum hauriunt, quia tùm *pleura* quà pulmonum quà costarum distenditur. Peripneumonicorum, contrà, tùm maximè exasperatur, cùm spiritum reddunt, quòd sanis hinc partibus ipsis compressis inflammatæ urgentur.

Pleuriticorum dolor, ubì circa mediam sextæ septimæve costæ partem urget, vehementior est, quàm ubì in aliis partibus; propterea quòd, præ harum costarum longitudine, media earum pars longissimè distat à centro motûs, ideoque contiguæ *pleuræ* vasa inflammata, utì maximè moventur, ità maximè distenduntur, acerbissimèque dolent.

Tam peripneumonicorum quàm pleuriticorum dolorem exasperat tussis. Imminente enim tussi, solito plus spiritûs in pulmones trahitur, quo *pleura* cùm pulmonum tum costarum distenditur; et inter tussim, quæ brevi at vehemente abdominis musculorum contractione pulmones comprimuntur sic, ut sanæ eorum partes inflammatorum vasorum parietes contra inclusum sanguinem urgeant. Hâc causâ peripneumonicorum dolor intenditur; illâ pleuriticorum.

Rubor faciei et *oculorum*, itemque *delirium*, *vigilia* et *phrenitis*,—quæ in pulmonum inflammatione accidunt, efficiuntur arteriis venisque sanguine, supra modum, turgidis. Turgescunt autem hæc vasa, ideo quòd sanguis, præ difficili per inflammatos pulmones transitu, impeditur, ne, utì debet, expeditè à capite, per superiorem venam cavam, ad dextram cordis auriculam permanet.

Color faciei purpureus est, itemque *anxietas*,—quia, ob difficilem transitum, et alienam materiam animæ spiramenta opplentem,

sanguis in pulmonibus non, ut in sanis solet, ex purpureo in coccineum convertitur.

Decubitus difficilis.—Ubì inflammatio unum tantùm laterum afficit, æger in latus sanum plerumquè faciliùs decumbit, quàm in inflammatum; quia, corpore sic posito, inflammatam partem non urget pulmonum sanus. Quòd si utraque simul latera inflammatione laborant, æger in dorsum commodiùs decumbit, quàm alterutrum laterum; quòd tùm pulmones inflammatas partes minùs gravant.

PROGNOSIS.

Quum hic morbus plerumque plus periculi minusve habeat, rarò ægris securitatem polliceri possumus. At haud tamen alienum erit, quæ notæ spem ostendant, quæ periculum, fusiùs exponere.

Si æger est provectus ætate, vel senex, vel

laxo corpore, vel hydropicus, malum est. Periculosum est etiam, ubì ab initio magna vis febris fuit, aut magna debilitas.

Pleuritici, dummodò iis opportunè et scienter succurratur, in minore versantur periculo, quàm peripneumonici. Quinetiam, utì notat Lomius, ii pleuritici, quorum dextrum latus percepit inflammatio, sæpiùs revalescunt, quàm quorum sinistrum. Quamobrèm? idcirco, putamus, quòd ubì *pleura* sinistri lateris inflammatione capitur, periculum est, neque id sanè parvum, ne cor itidem inflammetur.

Mali etiam morbi testimonium est, ægrum ex difficili spirare, dum in lectum cubat; faciem sanguine suffusam intumescere; caput vel collum insudare, dum nullus alibi sudor erumpit. Periculosi etiam morbi est, ubi arteriarum pulsus celeres sunt, et tam vi quàm temporibus inæquales; ubi vires plurimùm fatiscunt; et ubì æger non suæ mentis est, sed delira loquitur.

Neque, enimvero, bonum est, ægrum crebrò vehementerque tussi vexari, et tamen nihil aut

pene nihil exscreare posse. Mali etiam morbi signum est, si multum sanguinis extussit æger, quòd ostendit, arteriarum, quæ in pulmones distribuantur, pauciores pluresve dirumpi: Neque verò signum bonum est, dolorem non solùm vehementem esse, sed etiam huc illuc thoracis pererrare, et intendi; quippe cùm indicet, inflammationem latè patere, et totam *pleuram*, maximamve ejus partem, inflammari, vel saltem in eo esse, ut inflammetur.

In summo periculo versantur, quorum facies intumescit et livescit, quique creberrimè simulque difficillimè trahunt et emittunt spiritum. Mors denunciatur ubi æger, post sputum copiosum, subitò exspuere posse desinit, et ubi accedunt stupor et convulsiones. Pessimi etiam ominis est, medicinam, septimum post diem, nihildum profecisse, et inflammatam abscessisse partem. In propinquo mors est, si ex abscessu tanta vis puris in animæ spiramenta erupit, quantam tussiendo emoliri æger nequeat. Ad ultima jam ventum esse testantur gangræna, et tantus humor effusus, quantus spiritum intercludat, neque animam reciprocare sinat.

Contrà, ubi morbus ab initio levis fuit, atque ægro sunt facultates, quibus sibi paret medicinam, plerumquè bonum, in futurum, præsagiri licet. Scire quoque licet, ægrum non periclitari, si in latus aut dextrum aut sinistrum, ut ipsi in usu est cubat ; si modicâ tantùm febre, dolore, spirandi difficultate, et tussi vexatur ; et si, ex facili, humorem lentum, sufflavum, subalbidumve expectorat.

Corpus etiam, quod sponte aut medicinâ æqualiter totum insudat, et cujus febris eo sudore remittit aut finitur, securitatem pollicetur. Neque terrere debet abscessus, modò pus modicum, ex eo in animæ spiramenta effusum, tussis, ex facili, emoliatur, neque æger suo aut parentum vitio idoneus sit, qui phthisi extabescat. Pejus effusum pus est ex apostemate in *pleuræ* saccum ; sed ne hoc quidem terrere priùs debet, quàm, perforato thoracis pariete, medici frustrà aggressi sunt emittere.

CURATIO.

Morbo, qui tam sæpè, et tam citò mortem affert, quamprimum subveniendum est. Eâ enim naturâ hic morbus est, ut medici tempestivè arcessiti ad curandum plurimùm possint. Sæpè autem non priùs advocantur, quàm usquè eò increverit, ut vel Æsculapius ipse eum sanare nequeat. At medici tamen, quamvis serò adhibiti, non debent desperare: namque, etiamsi aliquandiù duraverit, interdum tamen possit vehemente præsidio discuti.

Quò morbum, de quo scribimus, ad sanitatem perducant, medicorum est inflammationem digerere; graviora interim levare mala, quibus æger premitur; si inflammata pars abscessit, aut serum effudit, pus serumve emittere; et vires denique reficere. Quibus hæc consilia exsequantur medici, fusiùs exponere aggrediemur.

Primo consilio, — opus est, non solùm ut æger abstineat ab omnibus, quæ cor et arterias supra modum incitent, sed etiam ut materia dematur ex corpore, parsque dolenti quàm proxima exulceretur.

Abstinentia.—Dum æger vitat carnes, potiones meraciores ex fermentatis distillatisve humoribus, et exercitationem ; debet cavere, ne fumos pulveresve in pulmones cum spiritu ducat, qui tussim moveant, simulque ne externo calore incalescat corpus.

Intereà cibi adhibendi sunt, quos suggerit alma tellus ; et potus dilutiores, quos succi, ex *dulcacidis* fructibus expressi, gustatu jucundos reddiderunt. Simul cubiculum, ubì cubat æger, debet spatiosum esse, quod salubrem perflatum habeat, neque temperiem eâ majorem, quam indicet sexagesima secunda *thermometri Fahrenheitiani* nota.

Hujusmodi victûs et temperiei ratio, utì neglecta inflammationem aggravat, ita ad discutiendam multùm conducit adhibita, imò haud

scio annon, vel medicinâ haud subsidiante, leviorem prorsùs digerat.

Exinanitio.—Non inter recentiores modò medicos convenit, verùm inter veteres quoque, HIPPOCRATEM nempè, GALENUM, CELSUM, et ARETÆUM, aliosque, sanguinis detractionem remediorum potissimum esse, quibus discutiatur pulmonum *pleuræ*ve inflammatio. Verùm nequaquàm tamen inter eos consentitur, quo morbi die optimum sit sanguinem elicere. Dum enim alii censent, inutile esse sanguinem post secundum tertiumve diem mittere, alii contendunt profuturum, quamdiù nullædum apparuerint notæ, quæ inflammatam partem suppurare ostendant.

Quanquam, nostrâ ætate, constat inter plerosque, quo maturiùs elicitur sanguis, fore ut eo plus ad *pneumoniam* digerendam valeat; tamen concedunt, haud absterrendum esse à vena incidenda quarto quintove die, vel etiam seriùs, modò suppuratio nondùm inceperit, vel modò remissus, denuò ingravescat morbus.

Quantum ex quoque peripneumonico pleuriticove sanguinis mitti debeat, dicere non possumus. Quò hoc sciat medicus, debet animadvertere, quanta vis morbi sit, et quæ ratio; itemque quà ætate ægrum corpus sit, quo sexu, quâ constitutione, quo habitu: dein tantum detrahendum curare, quantum requirat vis morbi, et corporis vires pati posse videantur.

Modò, ut compertus est SYDENHAMUS, sat est quadraginta uncias, interjectis temporibus, elicere. Interdum, ut compererunt alii medici, opus est, ut sexaginta, septuaginta, octoginta, imò haud minus centum detrahantur. Raro autem, unâ vice, sexdecim amplius unciæ emittendæ sunt; nisi ubì, ut nonnunquàm, hæc copia difficultatem spirandi et dolorem non levat, simulque æger firmâ est corporis constitutione, neque aptus qui animâ deficiat.

Plùs verò, ut compererunt medici, ad inflammationem discutiendam valet, magnam sanguinis copiam, unâ vice, mittere, quàm tantundem diversis temporibus. Quinetiam, minuscula sanguinis copia, plagâ ampla et pleno rivo emis-

sa, plùs potest, quàm majuscula orificio parvo et exiguo flumine. Oportet, in latus, dum effluit sanguis, cubet æger, ne ei animus deficiat.

Sanguinem semel mittere, raró ad inflammationem digerendam, et morbum sanandum, satìs valet. Namque spirandi difficultas, dolor, et tussis sicca, quamvis sæpè plurimùm leventur, plerumquè tamen brevi redeunt. Quod ubì accidit, opus erit, ut tantundem iterum sanguinis detrahatur, imò nonnunquàm ter quaterve.

Haud raró, etiamsi pulsus arteriarum obscuri sint, oppressi, perimbecilli, parvi, imò tam vi quàm temporibus inæquales, atque æger de magna debilitate conqueratur; gravitas tamen præcordiorum, anxietas, difficultas spirandi, et calor circa præcordia, requirunt, ut plus sanguinis eliciatur. Hæc enim mala non sanguinis penuriâ oriuntur, sed ex functionibus, quæ ad vitam necessariæ sunt, vi morbi impeditis. Ita esse, hinc constat, quòd, sanguine sic misso, arteriæ, quæ anteà imbecilliter inæqualiterque movebantur, validiùs micant et æqualiùs; simulque totius corporis vires revalescunt.

Ubì tanta vis morbi urget, quantam leviora remedia minuere nequeunt, monet HUXHAMUS, ut utrorumque simul brachiorum vena incidatur.

Haud alienum erit observare, nonnullos esse, qui secundam tertiamque sanguinis missionem meliùs patiantur, quàm primam. Neque, enimvero, silentio prætereundem est, ubì vis morbi multùm remisit, et arteriæ rariùs et imbecilliùs micant, atque, etiamsi ratio morbi requirat, ut plus sanguinis eliciatur, vires tamen ægri non sinunt ut brachio detrahatur, haud rarò utilissimum esse, ministris hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro, sanguinem ex parte dolentibus quàm proximâ semel atque iterùm emittere. Sanguis enim sic detractus, dum ægrum minùs infirmat, haud parùm tamen conducit ad inflammationem discutiendam ; at eam forsitan maximè, quâ spongiosa pulmonum natura afficitur.

Exulceratio,—post sanguinem semel bisve missum, utì tutum, ita validum haud rarò præsidium est. Olim, ut pectus rubefacerent exul-

cerarentve, medici, sicut à CELSO accipimus, contrita sinapis semina imponebant. Nostrâ verò ætate, eodem consilio inducunt emplastrum *meloës* exulceratorii, quod anteferendum compererunt.

Sudatio.—Numne medicamentis eliciendus sit sudor, subdubitant medici. Omnes autem consentiunt, nunquàm movendum iis, quæ stimulent et calefaciant. Sudores quidem salutiferi, quales, post signorum remissionem, corpore æqualiter toto sponte oriuntur, aliquandiù evocandi sunt diluentibus potulentis, quibuscum commixti sunt *dulcacidorum* fructuum succi; at nequaquàm lenti sudores, qui partibus erumpunt, neque levant spirandi difficultatem.

Siquandò medicis videtùr, quamobrèm medicamentis sudorem evocent, hæc, ut opinatur PRINGELIUS, tutissime assumantur, post inflammationem exulceratione aliquantùm minutam. Omittenda verò sunt, simul ut materiam emoliri inceperit tussis, aut saltem non adhibenda, nisi unà cum medicamentis, quæ sputum moveant.

Purgatio.—Per totum morbum, alvus, quoties astricta, laxanda est catharticis, ex iis quæ refrigerant, aut emollientibus lotionibus ex inferiore parte infusis subducenda. Alvi enim exinanitio superquàm quòd irritationem, quam movent duræ fæces, sedat, haud parùm ad inflammationem digerendam conducit.

Secundum consilium.—Dictis medicamentis ac remediis, quibus discutiatur inflammatio, proximum est, ut exponamus, quæ intereà mala mitiganda sint, et quibus auxiliis.

Spirandi difficultas. — Multa medicamenta, quæ ex pectore sputum moveant, et levent spirandi difficultatem, medici præscribere solent. Hujusmodi sunt gummes; scillæ; vapores aquæ calidæ et aceti in pulmones hausti; atque vomitoria, *ipecacuana*, nempè, et similia tantulis dosibus, quantulæ nauseam duntaxàt cieant. Ex his medicamentis gummes nimìs stimulant: cætera magis idonea sunt: omnium verò optima vomitoria parvulis dosibus.

Tussis.—Dum navant operam medici, ut inflammationem digerant, peropus est, non solùm ut ea assumenda præcipiant, quæ mitigent spiritûs difficultatem, sed etiam ut ea, quæ fauces illinendo ne acri muco et aëris commeatu irritentur, tussim sedent.

Medicamentorum, quæ hac pollent facultate, et quæ, medicorum linguâ, *DEMULCENTIA* nuncupantur, nonnulla oleosa sunt, alia mucosa, alia dulcia. Verùm, cùm stomacho parùm apta oleosa sint, medici plerumquè primas consignant mucosis et dulcibus; velut cremori hordei vel ptisanæ, aquæ decoctæ ex althæa linive seminibus, gummi mimosæ Niloticæ aquâ solutæ, et pastillis glycyrrhizæ et opii.

Vigilia.—Ubì vis morbi multùm remisit, opium, aut præparata quædam ex eo, assumi debent, quæ requietem tussis et somnum recreantem concilient.

Postquam medicamentis et remediis, quæ exposuimus, ex uno laterum decessit *pneumonia,*

alterum nonnunquàm adoritur, et eandem, quam memoravimus, curationem requirit.

Tertium consilium.—Si serum in *pleuræ* saccum effusum est, permittatur medico, postquàm conquievit inflammatio, ut ferro mucronato contiguum thoracis parietem, inter sextam septimamque costam, perfodiat, et humorem emittat; vel assumenda curet medicamenta, quibus resorbeatur. Ubì effusum pus est, liceat quoque, perforato thoracis pariete, viam aperire quâ effluat; sed rarissimè sic æger potest servari. Pulmonis abscessus modò extuberet, nihil etiamnum est, quamobrèm ægrum deploret medicus, vel consilii incertus timeat ferro subvenire, et, foramine facto, pus emittere. Quòd si supervenit gangræna, neque natura nedum medicina, quippe nunc pariter impotentia, potest morti ægrum eripere.

Quartum consilium.—Simul atque, inflammatione discussâ, peripneumonici et pleuritici revalescunt, oportet cibis plenioribus, at levibus tamen et parùm stimulantibus, simulque leni exercitatione, vires reficere; atque intereà cave-

re, ne frigori aliisve se committant, quibus morbus reducatur.

Curatio, quam exposuimus, *pneumoniæ*, ut plerumquè se ostendit, accommodata est. Nonnunquàm autem ægri sunt, quorum corpora copiosum et iteratum sanguinis dispendium, sine discrimine, pati non possunt. Tales sunt non solùm grandævi, quique naturâ sunt infirmi, laxi vel in hydropem proclives, sed et qui aliis simul morbis, velut *typho* vel scorbuto implicantur.

Hujusmodi peripneumonicis pleuriticisque succurrendum est sanguinis ex partibus inflammationis sedi quàm proximis detractione; itemque exulceratione; ut et medicamentis, quæ alvum, et ex pectore sputum, moveant. Enimvero medicus haud rarò animi dubius est, an materiam ex corpore demendo morbum curare aggrederetur, an potiùs vires sustinere et reficere.

Cùm ita sit, curationem, quæ omnibus hujuscemodi ægris conveniat, proponere non possu-

mus. Oportet medicum, qui eorum valetudini consulit, semetipsum in consilium adhibere, deinque, rebus utì sunt, attento animo observatis et perpensis, quâ quisque curatione ad sanitatem perduci posse videatur, eam exsequi.

Nonnunquàm, ut à HUXHAMO accipimus, præsertìm apud nautas post longas navigationes, et *scorbuticos*, malignæ peripneumoniæ contagione vulgantur, quibus sanè correpti copiosum sanguinis dispendium ferre non possunt. Animadvertendum igitur medico est, non solùm quæ grassantis morbi natura sit; sed etiam quid anni tempus, et quæ ægro corporis constitutio.

Observandum, denique, est, ubì, ut nonnunquàm, præ naturali exiguitate, aut adipe, venæ brachii non eâ magnitudine sunt, ut possint tutò scalpello chirurgico feriri, medicos experiri debere, annon *digitali*, et medicamentis quæ alvum laxent, possint morbum persanare.

FINIS.